

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0549

0547

0553

0543

0558

0538

0598

0498

0648

0448

1048

0048

Ende

Anfang

534

Marath, Exodi XV. et Num. XXXIII. Nam dum filii Israel transiissent mare et Aegyptios ad littus projectos spoliassent, quaesiverunt aquas, nec invenerunt. Descenderunt autem forte aliquo monstrante et tertia die venerunt huc propter aquam, non enim erat de via illorum, sed deviaverunt propter potum, sicut frequenter fieri solet in deserto. Cumque huc venissent, non poterant bibere aquas de Marath, eo, quod essent amarae, ut habetur Exodi XV. Et murmuravit populus contra Moysen, dicens: quid bibemus? At ille clamavit ad Dominum et ostendit ei Dominus lignum, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versae sunt. De hoc etiam fit mentio Judith 5. Dicunt doctores, quod fuerit lignum valde amarum, ut miraculum celebrius esset, eo, quod ex immissione ligni amari dulcoratae sunt et factae potabiles. Contrarium autem videtur per id Ecclesiastici 38.: Nonne a ligno indulcorata est aqua? etc. Nam ibi loquitur Scriptura de naturalibus proprietatibus terrae nascentium. Credo autem, quod dulcedo in his aquis per ligni immissionem non manserit, nisi usque (b) ad populi Israel recessum et tunc in pristinam amaritatem redierint. Sunt tamen ita temperate salsae illae aquae, quod bestiae possunt eas bibere et quidam homines, sed non communiter omnes. Totus campus ille est paludosus et plenus aquae et erumpentes decurrunt ad mare rubrum et multi aestimant, Jordanem a mari mortuo usque huc in subterraneis meatibus decurrere et hic ebullire, ut dixi P. 1. fol. 199 A. Multa phantasiantur Arabes de his fontibus. Dicunt enim, quod oves ex eis bibentes concipient rubeas oviculas, sicut legitur de fonte Mella dicto in esciato, ex quo cum ovis biberit, nigrum foetum concipit et parit. Insuper diffamant hos fontes, dicentes, aquas potatas bibentibus implicare morbum venereum, ita, ut effoeminentur potantes. Cum ergo adaquati essemus, rursum camelos oneravimus et de Marath recessimus descendentes per littus maris rubri per latissimos campos arenosos. In occasu autem solis in locum venimus, quem Arabes nominabant Hanada, in quo fiximus tentoria, vix autem propter regionis sterilitatem reperimus ibi arida arbustula, ut aliquid calidum et coctum haberemus.

